





11

DE

14

V T I L I T A T E I V R I S

N A T V R A E

1780 30

O R A T I O

Q V A M V T

P. 1

I V R I S N A T V R A E A C

G E N T I V M

P R O F E S S I O N E M E X T R A O R D I N A R I A M

R I T E A V S P I C A R E T V R

D I E X I I I . A P R I L . c l o c c l x x x

P V B L I C E R E C I T A V I T

D . C A R O L V S F E R D I N A N D V S S C H M I D

V I T E B E R G A E

E X C V D I T A D A M V S C H R I S T I A N V S C H A R I S I V S

KÖNIGLICH
UNIVERSITÄT

ARTICULI IURIS
NATURALIUM

OF THE

IURIS NATURALIS

KONIGLICH UNIVERSITÄT
ZÜRICH

INSTITUTION

DEPARTMENT

OF THE

LIBRARY

OF THE

LIBRARY

OF THE





MAGNIFICE RECTOR ACADEMIAE,
PATRES ACADEMIAE CONSCRIPTI SVMME VENE-
RANDI, ILLVSTRES, EXPERIENTISSIMI, AMPLIS-
SIMI, AVDITORES CVIVSCVNQVE ORDINIS HONORA-
RATISSIMI, COMMILITONES GENEROSISSIMI,
NOBILISSIMI HVMANISSIMI,

Quanta me ceperit laetitia, quod facultas mihi obtigit, hoc
in tam splendido loco oratoris munere defungendi, verbis
exprimere non possum, nec etiam volo, quam certe ma-
ximam esse ac fere infinitam, ne vllum quidem spero fore, qui dubi-
tet. Quis enim, qui hunc adscendit suggestum, non statim sentiet,
summum exinde in se redundare honorem? non statim illorum cele-
berrimorum ac praestantissimorum memoriam reuocabit virorum,
quorum summae eruditionis virtutes hic quasi habitant, vbi olim pro-
batae, spectatae immortalitatem sibi comparauerunt? Sed et alia mi-
hi exstat huius laetitiae causa, id nimirum, quod me ad hoc honoris



fastigium euexit; quo nihil iucundius mihi, nec maius euenire potuisse quam lubentissime coram omnibus testor. Aut quid est maius ex illis, quae homines hominibus conferunt, beneficiis, iis, quae a Principis beneficentia proficiuntur? Serenissimi igitur ac Clementissimi Principis Electoris Saxoniae, FRIDERICI AVGVSTI, munificentia, mihi numquam satis depraedicanda, sicuti maximo me dignata est beneficio, ita etiam haud minori me adfecit gaudio, quod pectore includere non possum, nisi ingratiissimi hominis exprobrationem incurrere malim. Ego quidem gaudium, quod liberalitas genere solet, praecipuum esse, nisi solum, ex quo gratus animus diiudicetur, persuasum mihi habeo. Qua autem alia ratione gaudium illud de beneficiis acceptis melius prodes, quam gratias agendo, id est benefactum tibi esse ab altero palam profiteundo? Gratias ergo quas debeo, Serenissimo ac Clementissimo Principi Electori, ob munus, quod mihi demandauit, Ius Naturae ac Gentium in hac inclita Academia Vitebergensi publice docendi, extraordinarium, quemadmodum ab illo statim momento, quo me tali honore condecoratum esse rescui, tacite quamuis, pie tamen atque sincerissime persolui, ita nunc hac in solempni frequentia illustrium virorum amplissimorumque, ita, ut omnes exaudiant, acturus, prius vota, quae pietas iubet, pro salute, incolumitate, prosperitate Optumi Principis suscepta, promere liceat, quam de vlla alia re dicam, quum haud ignoro nullum mihi relictum esse aliud grati animi indicium, quam ut remunerer precibus flagrantissimisque votis hoc, quod est omni alia remuneratione amplius, donum. Seruet, precor, Deus, penes quem solum est seruandi potentia, Te, Saxoniae columen, per plurimos annos! Te, sicuti vno quasi ore omnes, *Tibi, Patriae Patri* Optumo magis, quam Principi, se ipsos subiicientes magis, quam subiecti, Te celebrare



brare student, solatium praesidium atque decus Tuorum! unde sumunt, quo gaudeant, aduersis rebus confictantes; quo sese tueantur, iniuria laesi atque ad summam miseriam redacti; quo gloriantur, in vltima forte latentes! Seruet Te, inquam, Deus, vt diuinam Te quam diutissime benignitatem aemulantem nos videamus mirantesque videant posterum, vt rerum a Te bene gestarum multitudo atque gloria Tuum nomen praeter caetera reddat insigne atque aeternum. Incolumem vero Te praestet, florentem, omnique, quam patitur mortalium conditio, prosperitate exornatum Deus, cuius liberalitati nulli sunt limites praescripti! vt omnes, de quibus Tu optime meritus es, intelligant, bonum principem semper esse eum, quem amet atque ipse adiuuet Deus! vt videant, qui pro Te candidissimis precibus Deum adierunt, adnuisse iis Deum atque talibus Te praemiis donasse, qualia numquam principi a ciuibus tribui possunt. His igitur votis, quibus licet verborum copia atque elegantia, summa tamen pietas profecto non defuit, rite peractis, ad reliqua pergam, quae mihi nunc erunt dicenda, pro honore nuper impetrato, secundum antiquissimum illum morem publicum professoris munus oratione quadam publice recitanda inchoandi. Cui quidem mori, quem res ipsa introduxit, temporis vero longinquitas stabiliuit maiorumque auctoritas dignitate auxit, vt satisfaciam, quemadmodum meum nunc esse scio, ita etiam optimum oratiunculae meae argumentum esse duxi, si, quae ad Iuris Naturae vtilitatem pertinent commonstrandam, breuiter enumerare insimulque Iuris Naturae scientiam pro viribus meis commendare conarer. Quem enim fugit, omnia hodie ex vtilitate ab omnibus fere aestimari, omnia autem, de quorum vtilitate vel non constet, vel adhuc ambigendum esse videatur, omnino negligi? Quare non est, quod miremur, litteras etiam tali nostri saeculi, solidioris eruditionis



nis fastidiosissimi, aestimatione haud esse exemptas, ideoque quasdam earum contemptas iacere ac paene ignotas. Magna equidem est, itemque pernecessaria disquisitio, a quolibet instituenda, de iis, quae ex diligenti alicuius doctrinae studio profluunt, commodis, ut successu non careat, quidquid operae in eam addiscendam impendat; nihilominus tamen stolidam omnino eadem habenda est disquisitio, quam laboris formido peperit, quam nulla certe reperitur doctrina, quae, tamquam inutilissima res, nullius sit pretii, vel, tamquam sterilissima terra, a nemine coli mereatur; omnium vero litterarum tam arctam esse coniunctionem neminem latet, ut communi quasi vinculo contineri videantur, id est, ut vnius scientiae cognitio semper faciliorem reddat alterius cognitionem. Omnis igitur quaestio de utilitate, quam quis ex cuiusdam doctrinae studio capere possit, eo redit, ut recte definiatur, an separari illa possit sine ullo detrimento ab ea scientia, in quam aliquis praeter caeteras incumbere secum constituit. Qua quidem re satis finita, mox adparebit, quae sit diligentius, quae minus pertractanda doctrina, quae prorsus denique missa facienda. Vult enim hoc limitibus circumscripta humanae mentis facultas, ut simplex sit atque vnicum, quo exerceatur praecipue, quod subigat, quo excellat, cui addebat vitae terrestri breuitas, quae nos monet, ne multis distracti frustra laboremus. Quamvis itaque multum absit, ut reprehendus statim nobis videatur is, qui non omnes litteras suo proposito aequae utiles esse censet, nihilo scilicet tamen is aliqua nota dignus erit, qui, quo commodius, id est celerius obfoluenda obfoluat, separare audent, quae omnem separationem respuunt, itemque despiciunt, quae maximo in honore sint habenda. Et hoc est tristissimum fatum, quod tandiu perpeffum esse Ius Naturae inter omnes constat, ut semper ab iis maxime spretum neglectum.



glectumque fuerit, a quibus maxime excolendum fuisset. Neque etiam desunt hodiernis temporibus, qui deperditam esse operam Iuri Naturae datam, firmiter opinentur, Iurisprudentiae cultores. Vae miserae Iuris scientiae, si eorum obtineat sententia! Num autem isti satis intelligunt, quid sibi velint? Leges naturales legum ab hominibus latarum fundamentum esse, CICERO iamiam perspexit,*) qui stirpem Iuris a natura repetendam esse existimabat. Fundamento relicto, quid aedes sustinebit, ne statim corruant, vel ruinam minitentur? Stirpe vero euulsa, quomodo arbor illaesa remanebit aut flore fructibusque in posterum exuberabit? Sic etiam Iure Naturae deficiente, vel remoto, nihil profecto aderit, quo omne reliquum ius, gentibus peculiare, innitatur; vel vnde vigorem accipiat atque perennitatem. Inhaereamus paululum huic argumento, quod si satis euerimus, mox speramus tacituros fore, qui Ius Naturae nihili pendant, ita, ut et alios ab hac addiscenda dehortentur doctrina, dissentientibus vero tam acriter obnitantur, ut, nisi opinionis veritate, voce tamen aduersarios vincant. Omnis Iuris scientia, uti quotidiana satis superque docet experientia, vel in facultate consistit aliquid licite agendi, quam ius, ratione personarum, dicimus, vel in obligatione externa, et quidem perfecta ad aliquid alteri praestandum. Sine lege, quae proprie sic dicitur, neque ius, neque obligatio vllum locum habere potest, sicuti talis lex nulla est sine superiore. Superiorem vero adpellamus eum, qui est potestate vel iure instructus aliorum actiones arbitrio suo conformandi, normas scilicet faciendi, ad quas alii, ex iis obligati ad obsequium, actiones suas, quae tales normas recipiunt, tamdiu componere studeant, quamdiu ster legislatoris immota voluntas. Modus hanc adipiscendi potestatem, nisi effectum

*) De legg. L. I. c. 6.



ctum statuere malimus sine causa, vel legitimum adpellare, quod non ex lege descendit, nihil aliud est, quam declaratio a quibusdam sponte facta, per quam sese alterius imperio subiecere. Quod enim ad originem pertinet, omnes homines, ab omni, nisi parentali, imperio liberos nasci humano, inter omnes constat. Quid vero, quaeso, homines tam bene docuit, pactorum notitiam, rerum differentiam, de quibus pacta ineantur, ad quasnam denique actiones legislatoris extendatur potestas? nisi Iuris scientiam vna cum IUSTINIANO Imperatore *) Iuris prudentia ciuili vetustiore agnoscamus atque vnam per alteram illustremus. Num igitur in omnes cadet illa imperantis aliis hominibus potestas actiones, quae a subiectis perpetrantur, tam externas quam internas praescribendi? Num etiam in omnes, sine vlllo discrimine, quae externe suscipiuntur? Quis tam insipidus erit, vt superiori tribuendum esse censeat, quod numquam tribui potest, imperium in omnes liberas eorum, qui subsunt, actiones? Quis, si exemptas imperio humano actiones habeat internas, adhuc dubitabit, quin distinguendae sint externae, quae necessario alterius causa peragi debent, ab iis, quae, aliorum scilicet intuitu, talem necessitatem non habent? Patet igitur ex his, magni immo vel maximi esse momenti, vt latius quoddam constituatur genus, ad quod referendae sint, quae ab superioribus inter alias imperentur, actiones. Vnde vero melius ea cognoscuntur, quae ad dignoscendas a caeteris lege debitas actiones conducunt, quam ex Iuris Naturae praeceptis? Hinc enim nobis euident fit, quatenus humanae legi subesse possint actiones nostrae, posteaquam cognouerimus, leges diuinas duplici modo esse considerandas, prout nempe vel ad externas vel internas restringantur actiones. Quemadmodum porro externam actionum cum lege conuenientiam

*) Infit. de Rer. diu §. 11.



tiam iustitiae, quae actionibus inest, sufficere, nulla alia ratione facilius edocemur, quam legibus naturalibus recte cognitis, ita etiam fluit exinde prono alueo, praeter actionum iustitiam nullam requiri constantem et perpetuam voluntatem ius suum cuique tribuendi; nullam, quae personis inhaereat, iustitiam ad iusti hominis laudem in ciuitate comparandam. Quare Iuri Naturae debemus ipsam iusti iniustique differentiam, quae numquam profecto nobis patebit, si iuribus tantummodo particularibus immoremur, aut si nullae aliae essent leges, quam quae ab humanis proficiscantur legislatoribus ideoque ad singulas ciuitates, minime vero ad omnes homines pertineant. Legibus praeterea naturalibus plane neglectis, nullum supererit aliud obligandi vinculum, quam quod a commodi vel incommodi cuiusque proprii deriuari possit ratione. *) Iurisprudencia enim naturalis de iis praecipit officiis, quae non solum nostra, quam alterius caussa a nobis obseruari debent. Sunt quidem, quae in statu naturali originario obtinent, officia eiusmodi, vt in omittendo tantum consistant. Hoc vero non impedit, quo minus cuilibet statui adplicentur aduenienti, vbi illis obligationes adcedunt, quae ad aliquid faciendum spectant. Et in hoc erit posita ratio, cur, quotquot enascuntur ciuitates, numquam in desuetudinem abeant regulae illius iuris aeternae: *neminis turba iurium exercitium! suum cuique tribue!* Qua quidem ratione sole est clarius, commodum cuiusque proprium non esse, ex quo iudicari possit, quid a nobis alteri praestari debeat, propterea quod non semper e re nostra esse videbitur, vt prius ad alterum, quam ad nos curam nostram flectamus iisque, quae coeca habendi vel nocendi cupido iubet, abstineamus. Nostram e contrario salutem pen-
dere

*) HOLLMANNI Iurisprud. Natur. P. I. c. II. §. 36.





dere ex eo, quod ad alterius salutem fecerimus augendam, antea non intelligemus, quam legem, quae alteri eadem nos facere iubet, quae nobis fieri ab altero velimus, agnouerimus. Quis itaque dubiis tam pertinaciter insistet, vt CICERONEM recte Ius Naturae omnis iuris stirpem adpellasse firmiter neget? Sic etiam tam verum est, quam quod verissimum, eiusdem auctoris effatum, nos legem bonam a mala, nisi naturae norma, diuidere non posse. *) Legibus enim naturalibus sublatis, tollitur omnis iustitiae notio, eius nimirum, quae, ante leges quam latae erant ab hominibus, aderat, ideoque omnis securitas, qua sola conferuantur ciuitates. Quidquid vel populi iubebunt, vel principes decernent, ius erit. Quid vero, si latrocinium iubebitur, si internecio ciuiumque caedes decerneretur, erit dicendum? Respondent, quibus inutilissima videtur Iuris Naturae scientia! Nonne igitur Iurisprudentiae cultores optime agunt, qui, ex SVLZERI opinione, **) totius iuris prudentiae studio praemuniunt huius doctrinae cognitionem? Nihil dicam quantum philosopho expediat, Ethicae ambitum haud ignorare, eiusque limites regere et quidem ita, vt cum Iuris Naturalis scientiae finibus numquam confundantur. Cuius vero doctrinae cognitio huic negotio melius inferuiet perficiendo, quam Iurisprudentiae Naturalis ipsius pertractatio? Iurisconsultus quam alia scientia ingenii acumini magis consulat, quam Iure Naturae? de quo tam varie, tam subtiliter, tam docte, tam acriter depugnatum est disputationibus inter acutissimos doctissimosque viros. Aut quis Iurisconsulti nomine dignior est, qui historicam, an qui etiam philosophicam tenet Iurisprudentiam? Ligneum ferrum adpellavit, quem omnes suspiciunt pragmatici, LVDOVICI ***) Iurisperitum iudicio de-

situ-

*) De legg. L. I. c. 16.

**) Kurzer Begriff aller Wissenschaften. §. 221.

***) Delincat. Histor. Iur. Nat. §. V.



destitutum. Quomodo enim casus, qui legibus non esse disceptati videntur, decidere poterit, aut perspicere, quid in liquidis casibus varii atque noui obueniatur, propter quod noua iuris ad factum opus est adplicatione? Quomodo interpretis prudentis sustinere poterit personam? nisi ratiocinando noua eliciendi artem optime calleat; nisi, quid ex similibus comparatione colligendum sit, cognitum satis habeat atque repertum. Et inter omnes, quae ad Iurisconsulti iudicium perpoliendum valent, litteras nonne primum obtinet locum Ius Naturae? Vnde melius omnium iurium petuntur principia? Vnde melius supplentur a iure ciuili praetermissa? Quod viderunt iam iam ipsi Iurisconsulti veteres Romani, qui ius ciuile ad ea potius, quae frequenter et facile, quam quae perraro eueniunt, aptari debere sentiebant. *) Quid ergo de iis statuendum est, quae legibus non comprehenduntur? Ad similia procedendum esse in casibus aliquando incidentibus, IULIANO; **) caetera, quae ad eandem vtilitatem tendant, interpretatione supplenda esse, VLPIANO ***) videtur. Quis autem non intelligit, similia ex iure ciuili, ad hanc inquisitionem non satis idoneo, diiudicari non posse, et, quod ad vtilitatem pertineat, ex ea quidem interpretandi artem, sicuti vtilitatis cognitionem ex iure generali, huius tamen iuris disciplinam ex intima philosophia, secundum CICERONIS opinionem, †) esse hauriendam? At, inquam, hodiernis temporibus non est, quod tanta ingenii vi omnes excellent Iurisconsulti, vt de omnibus casibus respondeant, quum iudicis, immo etiam principis sit iuris subtilitates soluere atque remouere. Equidem hoc numquam inficiabor. Nihilominus tamen Iuris Naturae studium omnibus

*) l. 4. l. 10 D. de legg.

**) l. 12. D. eod.

***) l. 13. D. eod.

†) De legg. L. l. c. 5.



commendandum esse censeo, qui Ius tamquam artem, non tamquam inueteratam consuetudinem addiscere cupiant. An non omnes ita Iurisprudentiae studere deberent? PAVLVM certe non omnes doctrina vel PAPINIANVM aequabunt auctoritate. Nullusne igitur talem Iurisconsulti adfectabit gloriam? Vbi tunc, quaeso, erunt, quorum sententiis ad lites componendas, vel quorum consilio princeps vratur in nouis legibus condendis? Huc adcedit, quod nulla in ciuitate omnem leges naturales vim amittunt, quum vinculum, quo homines sibi inuicem tenentur, non omni ex parte dissoluitur, ideoque operae pretium est, immo perutile, ea, quae ius ciuile vel introduxit, vel immutauit, sollicite dignoscere ab iis, quae naturalia sunt neque vniquam tollenda. Statum naturalem praeterea non solum inter ciues, sed etiam inter ipsas ciuitates obtinere omnes concedunt. Quid enim impedit, quo minus respublicas tamquam personas consideremus, quo gentium iura firmiter stabiliantur. Sunt itaque gentes singulae personae caeque ab omni humano imperio liberae. Iura, quae competunt hominibus in statu naturali, id est in statu libertatis, viuentibus Ius Naturae exponit, Ius Gentium vniuersum autem eadem iura exhibet, quatenus gentibus in statu naturali vitam degentibus adcommodari possunt. Quantum vero intersit totius generis humani, Ius Gentium ab ipsa natura constitutum, quam accuratissime pertractari, postquam GROTIVS vidit, omnes nunc vident. Nonne his omnibus grauissimis argumentis satis superque refelluntur huius doctrinae contemptores? Superest autem et aliud, quod TITIO *) debemus, illis, quae a nobis prolata sunt, nisi maius, haud tamen leuius argumentum. Sine Iure Naturae nullum omnino ius cogitari posse supra demonstratum est. Sic etiam Iuris Naturalis principiis plane reiectis in
vlla

*) in praefat. ad Pufendorf. de officio hom. et ciu.

vlla Iurisprudentiae peculiaris parte recte quem versari vix credere possum. Quam latus dicendi campus mihi decurrendus esset, si ex singulis Iurisprudentiae partibus deducendum susciperem, rem ita sese habere. In vna tantum parte, quam Ius Romanum occupat, subsistam. Imperator, ex quo ius illud denominatur, IVSTINIANVS *) disertissimis verbis professus est, tripertitum esse Ius Romanum, ex naturalibus praeceptis, gentium atque ciuilibus, id est quae a populorum voluntate originem traxerunt, collectum. Idem confirmat VLPIANVS, **) ex cuius sententia ius ciuile est id, quod neque in totum a naturali vel gentium recedit, nec per omnia ei seruit. Cui non obstat, quod IVSTINIANVS ***) iura, quae inter gentes peraeque custodiuntur, naturalia immutabilia esse semperque firma dixit, quum id, a quo receditur, non statim mutari vel destrui omnibus patet. Et omnes quidem gentes recedunt a Iure Naturali, vel nouas leges ferendo vel Ius Naturae suis negotiis adplicando, quod postulat cuiuslibet ciuitatis ratio. Relinquunt itaque Ius Naturale potius gentes, quam tollunt, eiusque auctoritati plus addunt, quam detrahunt, propterea quod id ipsum libera eas instruit voluntate, ius, prout optimum videtur, formandi. Quod vero ad Ius Iustinianum pertinet, dubium non est, quin magna ex parte ipsis naturalibus praeceptis superstructum sit. Quod librorum a maximis veteribus Iurisconsultis confectorum fragmenta, in IVSTINIANI Digesta relata, iterum iterumque testantur, in quibus tot ac paene innumerae reperiuntur specialium casuum diiudicationes, quae sine Iuris Naturae adminiculo excoGITARI non potuerunt. Factum est exinde, vt leges Iuris Iustiniani

B 3

fae.

*) Instit. de Iust. et Iur. §. IV.

**) D. de Iust. et Iur. l. 6. pr.

***) Instit. de Iur. Nat. §. XI.



saepius nihil essent aliud, nisi conclusiones ex Iure Naturali deductae, ideoque, quia plurium gentium negotiis decidendis inseruiunt, dignae, quarum interpretationi summam operam neque minimum temporis spatium eruditi, quam maxime possunt, impendant. Quis igitur has recte interpretabitur leges, nisi, qui Iuris Naturae scientia satis instructus est? Cuius quidem sententiae mihi exstat auctor celeberrimi nominis Iurisconsultus HENNINGIVS BOEHMERVS,*) quocum optime consentit CICERO,**) cui ii, qui aliter, quam ex fonte naturae, ius tradunt, non tam iustitiae, quam litigandi vias tradere videntur. Quorum virorum summa auctoritas, qua in aeternum florebut, quamuis nihil adferre possit, quo verius verum sit, hac tamen in re, quam fere omnes propter iuris ignorantiam impugnant, ad eam provocare non superfluum esse existimaui, quia vnus viri grauitatem contra ineptientem multitudinem plus valere saepius vidi, quam ratiocinationes optimorumque argumentorum exornatio. Iuris Romani aedificium ipsum si consideratius intuemur, idem nobis de eo statuendum erit, quod IVSTINIANVS ***) de eo censuit. Quam enim multa hic deprehenduntur ex Iure Naturae desumpta, quae numquam a nobis recte explicari possunt, nisi, ex quo fonte illa deriuanda sint, intelligamus. Et quidem integrae Iure Romano continentur iuris doctrinae, quae non sunt Romanis aliter propriae, quam quia illis placuit eas paululum immutatas Iuri Ciuili inserere. Quibus quidem cognitis, quae Iuri Naturae debentur, eo facilius reliqua omnia ab ipsis Romanis excogitata, quae Ius Ciuile Romanum proprie constituunt, indagantur, ideoque mox adparebit, cui Iuris Romani parti iuris vniuersi honorem denegemus. Si ad personas nos conuertimus, ius, quod iis competit,

status,

*) Introd. in Ius publ. vniu. p. gener. C. IV. §. 3.

***) De legg. L. I. c. 6.

****) Instit. de Iur. Nat. §. I.

status, in quo viuunt, ratione, ex Romanorum placitis, nisi Iuris Naturae principia negligamus, nulla fere opus erit opera, vt cognoscamus, quatenus hoc personarum ius Iuri Naturae suam originem debeat, formam Iuri Romano. Status in naturalem distribuitur atque ciuilem. Status ciuilis triplex est vel libertatis, vel ciuitatis, vel familiae. Inest autem statui ciuili is ipse status naturalis, vt mox videbimus. Si libertatem cum FLORENTINO *) definimus per facultatem eius, quod cuique facere libeat, nisi si quid aut iure prohibeatur, sequitur, vt Romani iamiam intellexerint, quod melius intelligere nobis haud licet. Vim vel ius opponerent statui illi naturali, propterea quod vi vel iure ille statim euanesceat. Seruitutem constitutionem esse Iuris Gentium, qua quis dominio alieno contra naturam subiiciatur, idem auctor est FLORENTINVS **). Nullum igitur superest dubium, quin seruitus statui originario naturali contraria esse videatur Romanis; ideoque status originarii et aduentitii nomina quamuis ignorarint, rem tamen satis superque cognitam habent. Videbant denique statum libertatis remanere etiam in statu ciuili ea ex parte, ex qua leges ciuiles eum haud inflexerint. Vbi enim nullum ius obstat, ibi facultas cuique competit faciendi, quidquid velit; de re sua disponendi, quomodo libeat; viuendi, prout iuuat. Qua quidem libertate alii ex Iure Romano gaudebant a primo vitae momento, qui ingenui dicebantur, alii ab eo tempore, quo seruitute exhibant. Manumissi vero quod antiquissimis reipublicae Romanae temporibus, antea SERVIUS TULLIUS quam Ius Quiritium cum seruis communicauerat, non utebantur libertate, quali ingenui, hoc ex Iuris Ciuilis singulari stuebat dispositione; sicuti hoc Romanis proprium erat, quod non omnes ingenuos
nasci

*) De statu hom. l. 4.

**) D. eod. cit. l. §. 1.



nasci vellent. Nonne igitur in ingenuorum natiuitate status ille naturalis quodam modo locum obtinebat? Ingenuitas ex matris dependebat conditione, quia liberi seruorum, ex Romanorum legibus tamquam rei adcessio, non in parentum, sed in eorum potestate, quorum dominio parentes suberant ipsi, erant constituti. Nihilofecius tamen aliquid etiam hic, quod statui naturali cum ciuili commune sit, deprehendimus. Sequitur in statu naturali quilibet infans parentum conditionem, qua enim libertate gaudent parentes, eadem perfruuntur liberi. Sequitur etiam infans, in statu ciuili romano, parentum, sed non amboꝝ; tum vero si non vtriusque parentis, solius matris conditionem. Causa huius dispositionis in eo latebat, quod iniquum videbatur, eum in seruitutem detrudi, qui adcessionis iure, nullius poterat esse, quia eius mater nullius dominio erat subiecta. Item matrem sequebantur liberi, qui patrem non habebant legitimum, *) id est, nullum, quem legitimae nuptiae demonstrabant; quia patria potestas, secundum leges ciuiles romanas, ad liberos dumtaxat pertinebat ex legitimo matrimonio procreatos, **) ius vero ciuitatis nullum per patrem, nisi legitimum, in liberos transferebatur. Quae quidem quum ita sese haberent, aequum erat, liberos, legitimo parente carentes, matris conditione vti, id est, nasci vel ingenuos, vel seruos, non vero ciues Romanos. Quare optime cum Iure naturali et cum ipso Iure Romano congruit, quod VLPIANVS ***) legem esse naturae contendit, vt, qui nascitur sine legitimo matrimonio, matrem sequatur. Transgrediamur, ne ordinem rerum turbemus, ad nuptias, quibus omnis status familiae innititur, is scilicet, vbi paterfamilias non iuris ac nominis, sed patriae, quam re vera exercet, potestatis intuitu, reperitur.

*) D. de statu hom. l. 19.

**) D. de his, qui sui vel alien iur. l. 3.

***) D. de statu hom. l. 24.

peritur. Unde Romani, nisi ex Iuris Naturae principiis, cognouerant, nuptias esse maris ac foeminae coniunctionem, vel omnis vitae consortium? *) Non quidem omnis cuiuslibet maris ac foeminae coniunctio erat conubium, siue matrimonium, quod inter Romanos ciues dumtaxat, secundum legum ciuilium normam, contrahabatur. Hoc vero ipsum nihil impediabat, quo minus conubium societatis naturam retineret, eo consilio initae, vt soboles procrearetur, procreataque educaretur. Et etiam hoc ipso, quod nuptiae legitimae erant apud Romanos modus patriam potestatem acquirendi, prudentiores fuisse Romanos arbitror, iis, qui nostra aetate matrimonii finem in procreatione sobolis, vt scilicet exstinguatur libido, sine omni educatione consistere aiunt. Educationem autem sine imperio cogitari non posse, ipsa quasi natura iubente, inter caeteros *GVNDLINGIVS* statuit, **) cui parum stabilia ista coniugia, in quibus secedere tam viro quam foeminae fas est, quandocunque lubet, ob eandem rationem haud admittenda esse videntur. Quam amicissime igitur conspirabat Ius Romanum Ciuile cum Iure Naturae circa matrimonii finem, insimulque vltimum nuptias contrahendi modum. Romani perspiciebant coniugium nihil differre a societate pacto inita; pactum vero vtriusque paciscentis liberum requirere consensum. Huic ergo consequens erat, vt nuptias consensu fieri oportere constituerent, ***) non, quia

ita

*) D. de ritu nuptiar. l. 1.

**) Iur. Natur. c. XXIX. §. 2.

***) D. de sponfal. l. II.



ita placebat, sed, quia Ius Naturale hic praeualere intelligebant. Nuptias legitimo modo contractas hunc effectum civilem una cum aliis habuisse, ut liberi, quorum pater tunc erat certissimus, patriae potestati subicerentur, inter omnes constat. Patria vero potestas, quam civium Romanorum propriam adpellavit IUSTINIANVS *), num soli Iuri Romano originem debet? Minime. Ius quidem, quod civibus Romanis competebat in liberos, dominio quodam modo ad sine Quiritario, non est aliunde exortum, quam ex Iure Romano, quatenus enim plurimum inerant, quam parentum imperio per se considerato, neque utriusque parenti, sed patri vindicabatur; nihilominus tamen, Romano, ius parentalis imperii naturale prius adfuisse, quis est, qui neget? Quod et ipsi veteres scriptores disertissimis verbis declararunt. Ita PLINIUS, in Panegyrico, **) vim legemque naturae esse persuasum sibi habuit, quae semper in ditione parentum esse liberos iusserit. POMPONIVS ***) autem obsequium, ad quod liberi parentibus praestandum obligentur, iuri gentium, quo Ius Naturae a veteribus denotabatur, adscripsit. Et si educationem, quae sine quodam imperio, quamvis sine imperio, quod leges Romanae patri dederunt, peragi nequit, pro ipso imperio accipere nobis fas est, ULPIANVS †) eandem sententiam fovit, qui ad Ius Naturale educationem retulit. Ex his sequitur, ut ius illud, quo natura parentes instruxit, legibus Romanis

*) Instit. de patr. pot. §. 2.

**) C. XXXVIII.

***) D. de Iur. et Iust. l. 2.

†) D. eod. l. l. §. 3.



manis neque sublatum sit, neque re vera immutatum, licet adauctum, neque matri denegatum, quod ex Iuris Ciuilis praescripto adquiri necesse non erat. Id enim tantum effecerunt legumlatores Romani, vt patria potestas ius esset ciuibus Romanis proprium, quae vero matris esset potestas, eadem, quae in statu naturali, remaneret. A personis ad res vt procedamus monet tam temporis spatium, quam nostri instituti ratio. Quemadmodum vero ius dominii res praecipue coniungit personis, ita optimum erit, nunc, quid ex Iure Romano ad rerum dominium adquirendum requiratur, dispicere. Vt res eius sit conditionis, quae earum acquisitionem non impediat, primum est, de quo antea constare oportet, quam vlla res adquiratur, ex Iuris Romani principiis. Quam ob causam res acquirenda vel in nullius potestate esse debet constituta, sed ita, vt alicuius fieri possit, vel ab altero, cui ius erat eam in alterum transferendi, alienata. Res, quae nullius sunt, cuiusdam vero esse possunt, patent cuilibet occupanti tam ex Romana, quam ex lege naturali *). Naturali, vel, vti CAIVS inquit **), iure gentium acquirebantur, apud Romanos, res, quae vel non erant in ciuium Romanorum commercio, vel quae non modo iure ciuili introducto in cuiusdam potestatem redigebantur. Quare dominium illud, quod dicitur bonitarium, a Quiritario diuersissimum, locum non solum habebat in peregrinis, sed etiam in ciuibus Romanis ipsis, si ab his non ciuilitate, sed naturaliter res aliqua, quae nexum

C 2

ciui-

*) D. de acquir. dom. l. 3. pr.

**) D. eod. l. 1.



ciuilem non habebat, adquirebatur. Modi vero dominium bonitarium comparandi iidem erant, qui in statu naturali obtinent, secundum leges Iuris Naturae. Quo occupatio, adcessio, atque traditio, quatenus haec sine alienatione cogitari non potest, qui modi naturales adquirendi a Romanis neque ignorabantur neque tollebantur. Quae porro de illis statuebant, non erant a Iure Naturae aliena, immo ei omni modo congrua. Occupantes animum domini habere debebant, ex eorum sententia *), vt ex tali occupatione possessio, quae dominium praestrueret, proueniret. Nonne idem contendendum est ex Iure Naturae? Numquam enim cogitari potest, re vera cum sibi occupare, qui tale aliquid non in animo habeat. Quidquid rei, quae est in alienius dominio, adcedit, domino adcrefcere eiusdem rei existimabant Romani **). Fluit enim hoc ex ipsius domini natura; quum sine vllō negotio intelligitur, rem, quae ex re aliena proueniat, vel ei adiciatur, rebus in nullius dominio constitutis adferri non posse, propterea quod rei principali subest incrementum ideoque hoc eiusdem, cuius illa, potestati. Eodem modo Romani, quod ad traditionem attinet, Iuris Naturae minime deserebant, quippe qui nihil tam conueniens esse iudicabant naturali aequitati ***), quam voluntatem domini volentis, rem suam in alium transferre, ratam haberi, secundum illud Iuris Naturae praeceptum, quod liberrimam tribuit proprietario de re sua disponendi facultatem, quae retinetur, quoad dominus eam retinere vult

Quod.

*) D. de noxal. actio. l. 22. §. 1.

**) Inst. de rer. diu. §. XX. D. de acquir. dom. l. 7. §. 1.

***). D. de acquir. dom. l. 2. §. 3.

❧ ❧ ❧

2

Quod hos naturales adquirendi modos ad bonitarium restrinxerunt dominium Romani, nullo modo iis vitio vertendum erit, quum hac in re vti fuerunt libertate, quae iis optimo iure competebat. Dominium enim postquam duplex erat factum, nihil magis videbatur necessarium, quam vt etiam modi vtrumque comparandi curatius separarentur. Si ergo licitum erat, dominium naturale ab eo distinguere, quod ciuibus Romanis eximie concedebatur, item fas etiam erat, duplicem constituere modum, quo vel hoc vel illud impetraretur. Dominium porro rem esse facti, Romani non negabant, quibus, vel domini adfectionem vel vna cum ea occupationem domini adquisitioni antecedere oportere, videbatur. Quid igitur facilius est, quam ex ipso iure Romano Iuris Naturae hypothetici, vt vocant, quod, dominio ignorato, vix cognosci poterit, principia colligere? Quemadmodum vero domini cognitionem Iuri Naturae omnino debebant Romani, ita etiam eos iuris, quod dominis tribuebant, rem vindicandi a quolibet possessore, notionem exinde sumississe, omni caret dubitatione. Vnde regulam illam, quae prohibet, ne quis cum alterius damno locupletior fiat *), deduxere Romani, nisi ex Iuris Naturae principiis? Qua quidem posita, consequens erat, vt furta, quae lege naturali illicita essent **), non possent permitti iure Romano, nisi omne, vti apud Lacedaemonios, plane eiiceretur dominium ex ciuitate Romana. Eo ipso denique, quod vsucapionem modum

*) D. de condi&at. indeb. l. 14.

**) D. de furt. l. 1. §. 3.



dum Iure Ciuili introductum esse intelligebant Romani, *) manifestum est, eos pro certo habuisse, quod plus quam vni recentiorum Iurisconsultorum tam incertum visum est, vsucapionem naturali ratione admitti non posse, quia lex deest in statu naturali, quae legitimam constituat tempus, per quod res, bona fide possessa, vsucapiatur, vel quae dominium longae possessioni, bona fide haud destitutae, adiciat. Quam multa adhuc essent dicenda de pactis, quorum natura Romanis per eiusdem innotuit Iuris Naturae cognitionem! Pacta quidem sollicitè secernebant a contractibus Romani, nihilofecius tamen in his naturalem quam saepissime sequebantur aequitatem; eademque praeterea, sub contractuum licet cognominatione, pacta quam plurima habuerunt cum omnibus gentibus, ius iustitiamque colentibus, communia, quae vt rectè inirentur, eadem fere ex Iure Romano, quae ex naturali, necessaria erant. Ne vero iustos orationis fines migrem, pedem hic potius figo atque copiosorem huius rei pertractationem aliis, me longe doctioribus, relinquo.

Supereft itaque, vt Tibi, Rector Academiae Magnifice, atque Vobis, Amplissimi atque Clarissimi Professores, pro beneuolentia, qua mihi hac in oratiuncula audienda adfuitis, itidemque pro paterno fauore, quo me Professoris munus petentem adiuuistis, publice gratias agam. Quas quidem eo lubentius Vobis persoluo, quo magis hoc, quo

*) Inst. de vsucapion, pr. D. de vsurpation. et vsucapion. l. i.





quo me exornauistis, beneficium scio, quam amplum sit quantoque mihi honori; meum vero propositum quam certum atque perpetuum semper enitendi, vt dignior in dies euadam Vestra gratia, Vestro fauore! Quare non solum debitam Vobis reuerentiam quam sanctissime spondeo, verum etiam omnem, pro viribus meis, diligentiam, qua vt litteras prosequar meum nunc esse maximopere laetor.



13

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.



ULB Halle

3


004 058 02X



56.







11

14

DE
VTILITATE IVRIS
NATVRAE

1780

30

P. 1

ORATIO

QVAM VT

IVRIS NATVRAE AC
GENTIVM

PROFESSIONEM EXTRAORDINARIAM

RITE AVSPICARETVR

DIE XIII. APRIL. ~~cl~~ccclxxx

PVBLICE RECITAVIT

D. CAROLVS FERDINANDVS SCHMID



VITEBERGAE

EXCVDIT ADAMVS CHRISTIANVS CHARISIVS

KONENRIED

